# De Monte in Hortum.

# ARNOLDUS II.

Martagum. FLOS XVI. Gold-Wurz.

NATIVÔ *adhucdum*, *sed nobili* TUMORE SVPERBA
Montani culmina Lilij
*Etiam* in HORTO *Florem* jactitant *suum*.
Montano in ARNOLDO nil non altum;
*Sine fastu excelsa Virtus*,
*Sublimis absque* pruritu Prudentia:
Hâc, Henrico de Krenckingen, morbido illi Priapo,
Bürckbronnensis Villæ Sostrô
In Salutem scitè medebatur Monasterij;
Jlla, quia ferventi, in Hugonis de Tieffenstein visceribus
Igneam Blasianæ Religionis excoxit cupidinem,
Qui dein Neo- Monachus Cellam Patrimoniali mercatus Neocellâ
Sanctiori Zelô, ceu in Cœlo celavit.

*Interea*, *dum* è Monte Horto *illatus hic Flos*,
*Venustè ita vernaret*,
*Ne Floribus* viduati sterilescerent Montes,
Pulchro in Colle *Divinior Flora*, Thavmaturga Virgo
Germinavit sicut Lilium,
*Paulò post* & *Blasiadum Horto* domestica
*Suavem Gratiarum* stillatura *odorem*.
Lilio Montano ARNOLDO
( Montium *ut erat* Honos )
Montes *noluêre non*, *vel suis* è Visceribus;
*Grati*, pretiosum pendere Lytrum,
*Quod deinhaud* obliteranda Pietate
*Et Sacris Sanctorum Lipsanis*, & *rei Domesticæ* litavit myrmecijs;
Languit *demùm* ab Æstu Dierum, non Virtutum.



http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/reble1716/0309
© Universitätsbibliothek Freiburg